



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)



TRACTATUS QUINTUS.

DE VITIIS ET PECCATIS.

A Quæstione 71. Divi Thomæ, usque ad 90.

PRÆFATIO.

NON polliceor (AMICE LECTOR) tractationem facilem: vix enim altera (quam vis forsit an multi secus existiment) si materiam spectas, difficilior est. Enim verò quid umbrâ, tenebris, caligine obscurius? Quid eare ignotius, si rem vocari liceat, cuius nullam speciem, formam, vel ideam, nedum in homine, vel Angelo, sed nec in ipso idearum promotuario, & rerum archetypo, reperire est? Atqui & is vitium, quæ annotavi, tota constat peccati natura, in partibus componitur fœdissimum monstrum. Scitè admodum Prophetæ Iob, cum multa de peccati malitia, sub typo Behemot, præclare dixisset, ubi ad eius vultum, quo natura designatur, pervenit, huius fœditate territus, in medio hæsit, & figuris tantum acturus, exclamavit: Quis revelabit faciem ejus, & in medium oris ejus quis intrabit? Portas vultus ejus quis aperiet? id est, quis peccati naturam, detectâ larvâ, omnibus palam faciet? Quis medium, intimumque vastissimi oris, quod maximam mortaliumpartem absorbet, aut portas, & primos gradus, quibus consummandæ malitiæ iter patet, investigabit? Pergis postea: Sub umbra dormit, protegunt umbræ umbram ejus: neque enim umbra duntaxat dicendum est, lucisque privatio, sed non alium, quàm tenebras, parentem, non aliam prolem agnoscit, cum ab ignoratione veri originem ducat, & omnis peccans (ut Philosophus ait) sit ignorans, & error ac tenebræ peccatoribus concreata sūt, ut dicitur Eccli. 11. Quid igitur mirum, si in tam densa caligine, inque tenebris, peccati malitiam agrè dignosci posse dixerim? Puteus profundus peccatum est (inquit Gregorius) quo absorberi se Prophetæ timebat, cum dicebat: ^{26. 36a.} Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. ^{ral. cap.} Vel, ut eo loco ^{24.} ait Augustinus, Magnus puteus est profunditas iniquitatis humanæ. Spero tamen (AMICE LECTOR) eam profunditatem me tutò aditurum, neque ea voragine, inque vortici- bus absorbendum, cum Angelicum Præceptorem ducem habeam, qui ut alter Iacob, lapidem puteo superimpositum amoveat, & in ea caligine lucem præferat. Opto plurimum, ut hujus monstri fœditate terreri discas, & peccatum peius angue existimes. & ad eius conspectum exhorrescas & ^{Eccli. 21.} procul fugias, huicque prudenti Spiritus sancti consilio morem geras; Quasi à facie colubri fuge peccatum: Dentes Leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.